

5

EMENDATIONVM
CALLIMACHIARVM
PERICVLVM

THEOLOGO SVMME VENERABILI
FRANCISCO ANTONIO
KNITTEL

QVVM
A SERENISSIMO PATRIAE PATRE

CONSISTORII CONSILIARIVS
SVPERINTENDENS GENERALIS
SACRORVM AD MARIAE VIRGINIS ANTISTES SVPREMVS
GYMNASIIQVE EPHORVS CONSTITVERETVR

MAGNIFICOS HONORES

COLLEGII SCHOLASTICI NOMINE

GRATVLANS

D. D. D.
IACOBVS FRIDERICVS HEVSINGER
SCHOLAE GVELPH. RECTOR

GVELPHERBYTI
EXSCRIPSIT IO WILH. HINDSEIL.

RENDITIONUM
CALLIMACHIAVM
PERICLYM

THEOLOGO RVMME VENERABILI

FRANCISCO ANTONIO
KNITTEL

QVVM

A SERENISSIMO PAARIAE PATRE

CONSISTORII CONSILIARIO

BYDENTINENSIS GENERALIS

SACROVNI ANIAR VIRGINI ANTIQVS BYRNENSIS

DYMNKSDORF ENHOVS CONSTATVRE

MAGNIFICOS HONORES

COLLEGI SCHOLASTICI ROMINE

GLAVIENSIS

M. D. C. C.

JACOBO FRIDERICO BAVVINGERO

1. HONORIS CAUSA

VALLEMBRATA

EXCELSITATE M. H. B. B. B. B.





lim **TIBI** eam peperisti, **VIR SVMME VENERABILIS**, doctrinae laudem, cumque hac ita eximiam integritatem suavitatemque morum coniunxisti, vt, quocumque nouorum decorum **TVORVM** fama perferatur, summi atque infimi virtutum **TVARVM** praemiis faueant, honoribusque **TVIS**, quos apud **TE** optime collocatos arbitrantur, exsultent. Quemadmodum vero dubium esse potest nemini, quin omnibus partibus gravissimum, quae **TIBI** credita sunt, munerum summa cum fide prudentiaque pari functurus sis: ita schola nostra, cui datus es ephorus, non magis ephorum, quam patronum ac sotera plane singulari beneficio diuino **TE** sibi contigisse existimat. Litteris enim, quae in gymnasiis traduntur, quaeque sordere ignorantibus atque inuisae solent esse, ita ab ineunte aetate deditus fuisti, vt, licet maiorem partem **TVI** temporis grauior & sanctior meditatio sibi semper vindicauerit, tamen in illis tantum profeceris, vt elegantioris doctrinae peritia nemini eorum, qui nihil aliud egerunt, vel primo loco cedere videaris. Norunt ii, quibus **TE** propius inspiciendi facultas est, nihil in tota philologia tam arduum tanque reconditum inueniri, ad quod industria ingeniique **TVI** sagacitas aditum **TIBI** non patefecerit.

Neque exteris illustria TVA in rem litterariam merita ignota sunt, quum apud omnes, modo ne sint barbarae, gentes praestantissima eruditionis TVAE monumenta doctorum hominum, non dicam in manibus versantur, sed in sinu gestantur.

Sed iam dudum intelligo, orationem meam, quamvis parce ac modice de laudibus TVIS dicere ingressus sim, tamen ob id ipsum, quoniam de laudibus TVIS commemorat, TIBI molestam esse. Ut igitur modestissimis auribus TVIS parcam, simulque ingenio meo, quod absentibus, quam praesentibus, laudes suas libentius impertitur, obtemperem, virtutes TVAS aliis praedicandas relinquam, sermonemque de Cyrenaei poetae carminibus, quem haud ita pridem inter nos coeptum ob angustias temporis intermisimus, reuocabo.

Dicebam TIBI, hymnos CALLIMACHI maxime idoneos mihi semper visos esse, quorum assidua lectione adolescentibus ad intelligendos alios poetas Graecos via muniatur. Ad id enim, quod hymni illi carminis facilitate, elegantia & castitate, rerumque cognitu necessariorum multitudine nulli nobilissimorum vatum postponendi sunt, accedit etiam illud, quod Callimachus elocutionem suam diuersarum dialectorum formis haud variavit, sed in aliis carminibus Ionicae, Doricae dictionis in aliis, gustum sincerum propinat. Vsu vero crebrisque experimentis didici, permultum interesse adolescentium ad poetarum Graecorum cognitionem festinantium dialectos istas separatim sibi familiares reddere, antequam admittantur ad Homerum lae reliquos, qui plurium dialectorum confusione tironum studia impediunt atque perturbant.

Prae-

Præterea ad Callimachum facilius ac rectius intelligendum commentarii interpretum eruditissimorum tam claram faciem præferunt, vt haud sciam an in nullius poëtae Graeci explicatione atque emendatione viri docti copiosius et maiore contentione elaborauerint. Et nuper celeberrimi nostrae aetatis philologi, ERNESTVS ac RVHNKENIVS, in hunc poëtam exornandum tam insigne studium contulerunt, vt horum commentationes longe clariore, quam superiorum editorum industria factum erat, Callimachi poemata luce perfuderint.

Hanc de Callimacho sententiam quum proxime apud TE, iudicem idoneum, verbosius dicerem, dulcedine confabulandi TECum et a TE discendi cupiditate ductus longius processissem, nisi et TVI, et mei temporis ratio tunc aliam legem mihi dixeret. Nunc igitur, adeundi TE opportunissimam occasionem nactus, coeptam de Callimacho disputationem absoluaui, et, nisi necessarium ac subitum negotium TE huic cognitioni vacare vetabit, de poëtae huius locis quibusdam, quorum scriptura aut interpretatio ambigua mihi videtur, suspiciones TIBI meas exponam.

Sequiturus autem ordinem, quo CALLIMACHI carmina eduntur, primum in medium dabo locum ex hymno IN IOVEM v. 79, seq. vbi poëta de regum diuinitate ita canit:

Εκ δὲ Διὸς βασιλῆες, ἐπει Διὸς οὐδὲν ἀνάχλων
 Θειότερον, τῶ καὶ σφί τετὸν ἐπύλοο λάξιιν.

In posteriore versu Rich. Bentleyus scribendum censet τῶ καὶ σφε
 τετὸν ἐπύλοο λάξιιν, existimans, sententiam huius loci non esse,
*quare illis decreuisti tuam sortem, verum illos delegisti tuam
 sortem.*

sortem. Ita vero Callimachus a crimine βαυτολογίας haud longe abesse mihi videretur. Parum enim, aut omnino non diuersa sunt ἐκ Διὸς βασιλῆς, & Ζεὺς τοῦ βασιλῆος ἦν ἐκρινωτο λέξιν. At si vulgatam scripturam retineamus, nihil redundabit, sed omnia aptissime cohaerebunt. *A Ioue sunt reges: quippe Iouis regibus nihil diuinius est. Ideo etiam permisisti eis tuam sortem.* Scilicet, vt sint urbium custodes, vt regant populos, opesque possideant. Ne quis vero dubitet, an commode dici queat κρῖναι τι τὶ, adscribam ista Sophoclis ex Aiac. flagrif. v. 442. seqq.

Εἰ Ζῆν Ἀχιλλεύς τῶν ἄπλων πῶν ὦν πέρι
 Κρῖναι ἐμελλε κάρτος ἀριστίας τινί,
 Οὐκ ἔν τις αὐτ' ἐμοψεν ἄλλος ἀντ' ἐμοῦ.
 τριβ. v. 92. seqq.

Callimachus opera Iouis maiora esse dicit, quam quae digne a quoquam laudari queant. Verba haec sunt:

Τὰ δ' ἔργα τῆς κεν αἰδοῖς
 Οὐ γέρετ', οὐκ ἔσσι. τίς κεν Διὸς ἔργατ' αἰσει;

Sententiam horum versuum, vt nunc leguntur, impeditiorem esse, animaduertent docti interpretes, quorum alius aliam emendandi viam sequutus est. Nec scripta exemplaria a criticis inspecta satis sibi constant in extremo prioris versus verbo αἰδοῖς, pro quo codex Mediolanensis alter αἰδοῖς, et Parisiensis αἰσει substituit. Equidem crediderim, verba αἰδοῖς et αἰσει inter se permittata, alterumque in alterius locum ita restituendum esse:

Τὰ δ' ἔργα τῆς κεν αἰσει;
 Οὐ γέρετ', οὐκ ἔσσι, τίς κεν Διὸς ἔργατ' αἰδοῖς.
 Ita

Ita sensus hic esset *Tua opera vero quis canet? Non fuit, nec erit, qui Iouis opera canat.* Pronomen *τις* in articuli postpositivi significatione apud ipsum Callimachum epigrammate XXX. vi. p. legimus, ubi alios etiam locos adscripsit Rich. Bentleius. Tamen longe simplicior ac verior mihi videtur loci nostri ista interpunctio:

Τὰ δ' ἔργα τὴς νέου ἀείδου;
 Οὐ γὰρ οὐκ ἔστι. Τὴς νέου Διὸς ἔργα ἀείδου;
Tua opera quis canet? Neque fuit, nec erit. Quis Iouis opera canere possit? Ita etiam verba Callimachi propius accedent ad ista in Apoll. v. 30. seq.

Οὐδ' ὁ χορὸς τὸν Φοῖβον ἐφ' ἑνὸν ἡμῶν ἀείδου.
 Ἐστὶ γὰρ ἀδύνατος. Τὴς δὲ οὐδέ τις Φοῖβον ἀείδου;
 Nec audiendus est Stephanus, qui negat, satis apte indicatio modo iungi particulam *νέου*. Plane enim, quemadmodum Callimachus hic fecit, ita futuro indicatiui hanc particulam iunxisse videmus Homerum in illo Iliad. A. v. 174. seq.

Πατρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι.
 Οὐ καὶ με τιμήσουσι.

IN APOLLINEM V. 40. seq.

Ἐν ἄττι δ', ᾧ καὶ ἐκείναι

Πρώκις ἔραζε πέσσωσι, ἀκήρια πάντ' ἐγένοντο.

Leue mendum praeceuntibus H. Stephani exemplaribus tollo, et *ἄττι* pro *ἄσει* repono.

IBID. V. 113.

Χαῖρε, ἄναξ. ὁ δὲ Μῶμος, ἦν ὁ φθόρος, ἔνθα νεύρο.

Ita

Ita nunc editur hic versus, sententia quidem satis concinna. Nec de emendatione cogitarem, nisi autem mihi vellentur critici, qui adnotauerunt, in antiquis libris pro φθόρος scriptum fuisse φθόνος. Hinc intelligere mihi videor, Callimachum scripsisse ἐν οὐ φθόνος, ἐν δὲ νέοιτο. Non potuit poeta Momum suum in alium locum facetius ablegare, quam in eum, *vbi nulla inuidia est*, id est in extremam miseriam. Φθονεῖ γὰρ οὐδείς τῷ δυσυχοῦντι, ut est apud Plutarchum de inuidia atque odio p. 538. B. Dictum Callimachi suum fecit Martialis, quum ita lusit lib. I. epigr. 41.
DE INVIDIA. *Omnibus inuideas, inuide, nemo tibi.*

IN DELVM V. 16. seqq.

Ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι.
Ὅππότ' ἐς Ωκεανὸν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθῶν
Νῆσοι ἀλλίζονται, αἰεὶ δ' ἔξαρχος εἰδύει.

In ultimo versu fortasse post αἰεὶ particula δ' abiicienda, aut mutanda in γ', ac totus locus ita est interpungendus:

Ἀλλά οἱ οὐ νεμεσητὸν ἐνὶ πρώτῃσι λέγεσθαι.
Ὅππότ' ἐς Ωκεανὸν τε καὶ ἐς Τιτηνίδα Τηθῶν
Νῆσοι ἀλλίζονται, αἰεὶ ἔξαρχος εἰδύει.

IBID. V. 193. seqq.

Ἀλλὰ παλιρροίη ἐπινήχεται, ἀνθρικός ἄς,
Ἐῖθα νότος, ἐνθ' εὖρος, ὅπῃ φορέσει θάλασσα.

Valde exiguo scripturae discrimine, sed magno, nisi fallor, sententiae bono, vocabulum extremum θάλασσα muto in θάλασσον.

IBID.

IBID. V. 262.

Χρῦσειον δ' ἐκόμισσε γενέθλιον ἔρνος ἐλαίης.
 Mihi quoque mirifice blanditur ingeniosissima coniectura τὸν πόνυ
 Hemsterhusii, ἐκόμισσε pro ἐκόμισσε legere nos iubentis. Verba
 autem poëtae sic accipienda esse, crediderim. Ἐρνος ἐλαίης ipsa
 arbor est *oliua*. Ita Homerus Iliad. P. v. 53. dixit.

Οἶον δὲ τρέφει ἔρνος τὴν ἑριθιλής ἐλαίης.

Haec oliua ἐκόμισσε, sive ἐκόμισσε, τῷ Ἀπάλλωνι δηλονότι, ἢ καὶ τῇ Ἀθησῶ,
 γενέθλιον δῶρον χρῦσειον. Tale est, quod legimus apud Euripidem
 Hecub. v. 456. seqq. Πρωτόγονός τε φοινίξ, δάφνα δ' ἱεροῦς ἀνέχε
 πτόρθους Λατοῖ φίλῃ ὠδίνος ἀγαλμα διας. Quod autem Callimachus
 γενέθλιον dixit, Aeschylus Eumenid. v. 7. γενέθλιον δόσιν appellat.

IN IAVACR. PALLAD. V. 25.

Ἐμπεράμως ἐτρίψατο λιγὰ λαβοῖσα

Χρίματα.

Arridet mihi βαλοῖσα, quod erat in prius editis. Minerva *oleo*
puro affuso scienter corpus fricat. Contrario modo peccatum
 est infra v. 82. Παιδός δ' ὄμματα νύξ ἔβαλεν. Plane enim adfentior
 viris doctis, qui νύξ ἔλαβεν Callimacho restitui iubent. Quod
 vero poëta scribit ἐμπεράμως ἐτρίψατο, meminerimus, prudentia ac
 peritita opus fuisse ad frictiones athletarum. Pulchre hoc decla-
 ratur Galeni locis, quos Petrus Faber excerptit lib. III. agonist.
 c. 15. p. 549.

IN CERER. V. 4. seqq.

Μηδ' ἀπὸ τῶ τέγεις, μηδ' ὑψόθεν αὐγάσσοσθε,

Μη' παῖς, μηδὲ γυναῖ, μηδ' ἄ κατεχεύατο χεῖταν,

Μηδ' ὅτι ἀφ' αἰαλέων σομάτων πλώμετες ἅπασι.

B

In

In versu trium horum ultimo Μηδ' ὄρ' ex Μη ποί' esse deprauatum, suspicor. Callimachus inspectionem calathi profanis interdicit, ne quando Ceres, vltura curiosos mysteriorum suorum inspectores, populo famem immittat.

IBID. V. 60.

Οἱ μὲν ἄρ' ἡμιθνήτες, ἐπεὶ τὰν πότιαν εἶδον.

Aldus ἡμιθνήτες edidit, quod esset ab ἡμιθνήξ. Et saepe Dores Σιν ἔ mutant, puta κλαξ pro κλεις, ὄρνιξ pro ὄρνις, dicentes.

IBID. V. 129. seqq.

Μέσσα τὰ τὰς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέσως
Τὰςδε τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεῶν ἄχρῖς ὀμαρτεῖν,
Αἴτινες ἐξήκοντα κατώτεραι.

Sic e coniectura Stephani locus hic interpolatur, inuito sensu et inuitis omnibus libris, in quibus constanter legitur:

Μέσσα τὰ τὰς πόλιος πρυτανήια τὰς ἀτελέσως,
Τὰς δὲ τελεσφορίας ποτὶ τὰν θεῶν η. τ. λ.

Videbat Stephanus, τελεσφορίας pro adiectiuo haberi non posse, ideoque τὰς δὲ τελεσφορίας mutauit in τὰςδε τελεσφορίας, et hoc ad ἀτελέσως retulit. Quia vero contextus orationis flagitare videtur, vt τὰς ἀτελέσως opponantur *iniuitatae*, alii coniecerunt τὰς δὲ τελεσφορέας. Hoc autem, siue a τελεσφορής, siue a τελεσφορεὺς deriuetur, vtrumque repugnat analogiae, alterum etiam canonas de generibus nominum laedit. Malim igitur τὰς δὲ τελεσφορίας seruare, idque pro τὰς δὲ τὰς τελεσφορίας accipere, vt αἱ τελεσφορίας *iniuitatae* dicantur, quemadmodum Graeci τοὺς δήμον, τοὺς Καίσαρος, τοὺς

τοὺς τῆς πόλεως, τοὺς αὐτοῦ et similia dicunt. Potuit etiam Callimachus, ne Doride quidem inuita, scribere *Τὰς δὲ τελευφόρου.*

EPIGR. 39.

Ὀλύκιος Μενότας τὰ τόξα ταῦτ' ἐπειπὼν

Ἔθηκε τῇ κερατῇ, δίδωμι καὶ φαρέτρην,

Σέρapi, τὰς οἴσους ἔχουσιν Ἑσπερίται.

Fabra Huetium sequuta bene monuit, versu secundo scribendum esse *Ἐθικε* pro *Ἐθικει*. Proxima τῇ κερατῇ δίδωμι Rich. Bentleius correxit τῇ, κέρασ τοι δίδωμι, probante Celeb. Ernesto. Hic etiam e margine codicis MS. Lipsiensis adfert: *τοι κέρασ τοι*, quod firmet correctionem Bentleii. Si qua discessio fieret, ego pedarius senator in partes codicis Lips. transirem et consentirem, epigramma sic legendum esse:

Ὀλύκιος Μενότας τὰ τόξα, ταῦτ', ἐπειπὼν,

Ἐθικε τοι, κέρασ τοι δίδωμι καὶ φαρέτρην,

Σέρapi, τὰς οἴσους ἔχουσιν Ἑσπερίται.

Tunc interpretarer:

Hos Lyctius Menoetas arcus, aitque, Domino

Tibi hos, tibi que munus simul dico pharetram,

Serapi. Nam sagittas consumpsi in Hesperias.

EPIGR. 63.

Εὐδαίμων, ὅτι τὰλλα μανεῖς, ἀρχαῖος Ὀρέστας

Λευκάρεταν μανῶν οὐκ ἐμαῖν κρινῶν.

Lascivium, sed elegans, epigramma prope interceptum est incitia librariorum, quibus insolentior erat vox *λευκοπρωιουμανῶν.*

ΕΠΙΓΡ. 67.
 Αἴνε καὶ σὺ γὰρ ᾧδε Μενέκρατες ἔτι πούλις
 Ἦδα τί σε ζείων ᾧτε κατειργάσατο.
 Ἦρατο καὶ Κένταυρον, ὃ μοι πεπραμένος ὕπνος
 ἦλθεν, ὃ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Primum vocabulum Αἴνε ex Μήνιε ortum puto. Omiserat for-
 san librarius aliquis litteram M; vt ea cocco aut minio appingere-
 tur. Id quum postea, vt saepe, neglectum est, ἦνιε remansit.
 Ex hoc deinde alius pronuntiationis errore fecit αἴνε. Pro Μενέ-
 κρατες ἔτι πούλις Celeb. Ruhnkenius e MS. Voss. Μενέκρατες οὐκέτι πούλις
 restituit. Hinc totum epigramma in hunc modum reconciino:

Μήνιε, καὶ σὺ γὰρ ᾧδε, Μενέκρατες, οὐκέτι πούλις
 Ἦδα, τίς ἢ ζείων, ὃς σε κατειργάσατο;
 Ἦρατο καὶ Κένταυρον. Ὁ μοι πεπραμένος ὕπνος
 ἦλθεν, ὃ δὲ τλήμων οἶνος ἔχει πρόφασιν.

Menecrates vino immoderatus potato mortem sibi acceleraue-
 rat. Hunc paullo post, quam ad inferos traductus erat, Menip-
 pus aliquis, quasi mortis causam adhuc ignoraret, simulansque,
 sibi parum credibile videri, virum eius aetatis naturali morte
 occubuisse, interrogat, quis hostis eum interfecerit. Menecra-
 tes, vt si puderet se tam turpem causam mortis diserte pronun-
 tiare, respondet, eundem auctorem mortis suae fuisse, qui
 Centaurum Eurytiona labefecerit, scilicet vinum. Respicere
 autem Callimachum ad Odysseae Φ. v. 293. seqq. praeclare vi-
 dit Ernestus v. S. R. Deinde Menecrates, vt etiam hac re pudori
 suo consuleret, culpam a vino transfert in fatum. Vt cumque
 res cessura est, experiar, an epigrammatis sententiam Latinis nu-
 meris reddere possim.

Dic,

*Dic, huius modo facite, Menecrates, incola regni,
 Quis, te qui necuit, barbarus hostis erat?
 Is, qui Centaurum. Fatalis venerat hora:
 Infantis Bacchi pocula crimen habent.*

Quemadmodum vero causam mortis suae Menecrates a vino, seu potius a se, amolitur eamque in fatum confert, ita saepe faciebant prisci. Clytaemnestra apud Aeschylum Choëph. v. 910. caedem mariti excusat ita:

Ἡ μοῖρα τούτων, ὃ τέκνον, παραίτια.

Demophoon apud Sabinum epist. II. v. 104. culpam Ariadnes perfide a patre suo desertae simili excusatione leuat:

*Excuset patrem fatis in parte relicta
 Gnosfis.*

Ita legendum esse pro vulgato *fatis in parte relicta*, vel caecus videat. Fatali necessitate relictam esse Ariadnem, ait Demophoon, infontem Thesea desertionis inuidia premi.

Non irasceris, VIR HVMANISSIME, si TVA patientia paullo diutius abutar, coniecturasque meas de sanandis aliquot SCHOLIS veteribus ad Callimachum expendendas TIBI proponam.

IN IOV. ad v. 8. extr.

Ἡ ὅτι Κορύβαντας, λαβόντας αὐτὸν ἐπὶ τὸ κρύψαι διὰ τὸν Κρόνον, προσεποιήσαντο τάφον αὐτοῦ.

Pro ἐπὶ τὸ κρύψαι Vascosanus rectius edidit αὐτὸν ἐπὶ τῷ κρύψαι. Etiam extrema huius scholii verba sic legere malim: προσεποιήσαντο τάφον αὐτοῦ.



IBID. ad v. 21.

Ὅτ' ἔλδσκατο] Ὑπερον, μετὰ τὸ τενεῖν τὴν Ρ' ἔσσ.

Hoc scholion plane non facit ad verba poëtae, quibus adscriptum legitur. Referendum erat ad verbum Ἀδτις, quod in eodem Callimachi versu praecesserat.

IBID. ad v. 52.

Ὀδλα] Κατὰ κλήρον, ὕγιεινῶς.

Vocabulum Ὀδλα non explicari posse formula κατὰ κλήρον, manifestum est. Ernestus, consummatae eruditionis vir, opinatur, verba κατὰ κλήρον temere huc irrepsisse, quum adscripta fuerint v. 59. ad verbum ἐπιδαίσιον. Sed pace summi viri dixerim, me non videre, quomodo in mentem venire grammatico potuerit, ut ἐπιδαίσιον exponeret κατὰ κλήρον μεμερισμένον, quum diserte neget Callimachus, sorti in ista diuisione locum fuisse. Mihi igitur proximum vero videtur, scholiasten vocem Ὀδλα interpretatum esse κατὰ κειρὸν, ὕγιεινῶς.

IN DIAN. ad v. 188.

Εὐρίποιος] Εὐρίπος ὁ μετὰ τὴν Εὐβοίας καὶ Βοιωτίας ἦτορ. καλεῖται δ' οὕτως ἢ Εὐβοία, διὰ τὸ ἐπιμύμη αὐτῆν κείσθαι. λέγεται δὲ καὶ Μάκρως.

Non satis cohaerent, quae in hoc scholion congesta sunt. Fortasse posterior pars adnotationis huius adiecta fuit v. 187. nomini Δολιχῆ, in hunc modum: Δολιχῆ] Ἡ Εὐβοία. Καλεῖται δ' οὕτως ἢ Εὐβοία διὰ τὸ ἐπιμύμη κ. τ. λ. Cogitare potuit scholiastes de insula Euboea, quam meminerat Μάκρως appellari. Eandem Euboeam Dianae cultui insigniter deditam fuisse, permultis argumen-

gumentis ostendi potest. Haec tamen ita accipi nolim, quasi displiceat mihi sententia doctorum virorum, qui Plinio auctore Dolichen Callimachi eam esse arbitrantur, quae Icaros postea appellata est.

IN DEL. ad v. 295.

Εὔμοιροι] Εὐφημοί.

Elocutioni Εὔμοιροι δ' ἐγένοντο, nisi me coniectura fallit, adscripserat scholiastes Εὐφημισμός. Scripturae compendium, quo librariorum illud vocabulum expreserat, in Εὐφημοί facili errore degeneravit. Haud inepte vero grammaticus iste sibi persuaserat, Callimachum, Cleobis ac Bitonis memorem, de iuuenibus Hyperborealis scripsisse, ὅτι εὐμοίροι ἐγένοντο, τοῦτ' εἶναι ἀπέθανον.

Hac de Callimacho locisque quibusdam, qui in scriptoris huius carminibus ac scholiaste dubii videbantur, disputatione apud TE, VIR S. R. instituta, rerum scholasticarum, de quibus saepe posthac TEcum mihi deliberandum erit, ad TE deferendarum veluti auspiciam capere volui. Pertinet autem hic poeta ad res gymnasii nostri, quod cum, exemplis, grauisimorum virorum meoque iudicio fretus, disciplinae meae alumnis quum maxime explicandum delegi. Magnopere vero gauisurus sum, si TIBI et in hac re, et in omnibus, quae in muneris mei functione aut egi, aut acturus sum, diligentiam, industriam ac fidem approbare potero.

Id

Id iam non meis solum, sed collegarum mihi coniunctissimorum, ac prope totius patriae verbis TE rogo atque obtestor, vt bonae mentis ac liberalium artium hanc officinam, omnesque in ea dextre versantes magistros, singulari TVO fauore ac patrocinio complectaris, vtque foeda bella, quae sanctissimis Musis nostris a Barbarie, Superstitione, Impietate, iam dudum mouentur, TVA Prudentia ac Virtute fortissime propulses. Hoc agenti vt Deus optimus maximus valetudinem ac vires firmas TIBI sufficiat, vt TE atque ornatissimam FAMILIAM TVAM quam diutissime incolumes ac laetos florere iubeat, pietate concordi precamur. Scrib. in gymnasio Guelpherbytano a. d. III. non. Mart. c10ccclxvi.



EB 3449


VD 18


ULB Halle 3
002 406 454



SB







EMENDATIONVM
CALLIMACHIARVM
PERICVLVM

THEOLOGO SVMME VENERABILI
**FRANCISCO ANTONIO
KNITTEL**

QVVM
A SERENISSIMO PATRIAE PATRE

CONSISTORII CONSILIARIVS
SVPERINTENDENS GENERALIS
SACRORVM AD MARIAE VIRGINIS ANTISTES SVPREMVS
GYMNASHIQVE EPHORVS CONSTITVERETVR

MAGNIFICOS HONORES
COLLEGII SCHOLASTICI NOMINE

GRATVLANS

D. D. D.
IACOBVS FRIDERICVS HEVSINGER
SCHOLAE GVELPH. RECTOR

GVELPHERBYTI
EXSCRIPSIT IO WILH. BINDSEIL.